Quelle: https://manuscripta.at/?ID=772
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Synonime.

in confessione locus misericordie est. Certissime igitur crede. nullo modo hesites. nullatenus de venia dei desperes. Habeto spem in confessione. habeto fiduciam. Non desperes salutem. si ad meliora converteris. Qui enim veniam de peccato desperat. plus se desperatione quam de commisso scelere dampnat. Desperatio auget peccatum. desperatio peior est omni peccato. Corrige ergo te. et indulgentie habeto spem. Depone iniusticiam. et spera vitam. depone iniquitatem. et spera salutem. Nulla tam grandis culpa est. que non habeat veniam. Quamvis enim peccator sis. quamvis sceleratus. quamvis infandis criminibus obpressus. sordes non denegatur tibi penitentie locus. Facile penitentibus divina clementia subvenit. per penitentiam indulgentia datur. per penitentiam delicta omnia absterguntur. Homo.

Heu miserum me. spem perdideram. fiduciam amiseram. Diffidebam animo. fractus fuerat animus. in desperatione pene conciderat animus. Iam regressus sum ad spem. iam recepi fiduciam. spem indulgentie iam habeo de pietate dei spero. de bonitate dei non dubito. Habitabo iam in spe. erexit me ad spem pietas eius. dedit mihi spem vite. in penitentia. Si deus ergo respexerit. si in auxilium mihi accesserit. si adimplendum quod cupio adiuverit. hoc facere decrevi. hoc statui. defixum hoc in animo meo est. evelli hoc ab animo meo non potest. Ratio.

Deus tibi tribuat optata. deus votis tuis faveat. deus votorum tuorum te compotentem faciat. deus voluntatem tuam in bono perficiat. deus vota tua confirmet. deus votis tuis